Kawaliszewski Gregorii Caroli: Quaestio theologica de lumine gloriae.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE LVMINE GLORIÆ.

Ex 1. Parte D. Thomæ Doctoris Angelici, Quæst. 12.

PRÆSIDENTE

M. PAVLO WOIEWODZKI,

Sacræ Theologiæ Professore,

Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Crac: & Pilecen: CANONICO,

A

M. GREGORIO CAROLO KAWALCZEWSKI

Philosophiæ Doctore & Professore,

PUBLICè AD DISPUTANDUM

In Augusta D. Vladislai Jagellonis Aula,

PROPOSITA.

Anno, lucentis in carne humana, verbi Diuini, 1686.

Die 12 Mense. Feb:

157.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIUM INSIGNE
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



QVæ fueras primùm fundati conſcia Regni,
ASCIA: nunc expers temporis, atq; ſitus,
Clarior; ac tantò magis inter acuta labores:
Protegis, & ornas; Templa Deûm Patriam.
Ornamus meritam lauru, votoq; fauemus,
Vt ſemper celſam Te colat omnis honos.

Perillustri & Rñdissimo Dño,

D. GEORGIO

à MORSKO

MORSKI,

I.V.D. Protonotario Apostolico,

Ecclesiæ Cathedralis Vladislauiensis DECANO,

DOMINO & BENEFACTORI AMPLISSIMO.

CÆlesti accensa igne, in fastigiato culmine Theologicæ Sapientiæ, ad lucis perpetuitatem Pharus, magnitudinem animi Tui ambit, cuius splendores ne aliquando mota Erebo Tisiphone, vmbris suis squalidis contaminet, Gentilitiæ fulgentis ASCIÆ TVÆ armis, intaminatos conseruas. PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Fouet in sinu suo Gradiuus Polonus, cum delicio ASCIAS, in quibus dum patrocinium quærit, securitatem ampliùs habet. Nimirùm vix incipiunt monstra Cyclopum fulmina iaculari, grandines ferreas pluere, & iam horrendo fragore resonat ASCIA, quasi susceptum repetendo sonum, victorias & palmas triumphales, Aquilæ Polonæ ingeminet

minet, non alia præter ista, reddere solita omina. Etiam infesti Barbarorum Geriones, Cælo Polono, Ioues summos, temerario virium ausu, deturbare intenti, dum ictu fulminum cadunt, ASCIAS execrantur, ferales cupressos, in funebres tumulos, sibi aliquando excidisse. Gloriosum est interea Lecho, pro Polonia fundamenta iecisse, cum sint talia arma quæ conseruent & tueantur Patriam. Gratulatur sibi turris fortissima, mille ornata clypeis Ecclesia Dei, omni armaturâ fortium se esse decoram, dum Gentilitiæ ASCIÆ Tuæ arma in patrocinium adiungit, quibus rebelles eius, & hydras premas, illos in obsequium fidei ducendo, harum capita multiplicia vno ictu recidendo: patientiùs cladem suam quam meruerunt ferent, dum eam à Te sibi imponi sentient. Pertinebat omnino, ita Te in virtute profecisse, vt Auitum sanguinis decus, splendoribus tuis instaurares, & rectè factorum gloriam, propriâ exprimeres. Veneror hic silentio ATAVORVM Tuorum, PROAVORVM AVORVM, à MAGNIS TECZYNIIS ducta, Magna in Rep: & Ecclesia Nomina, quæ nemo inuestigat solertiùs, quàm cum ea in Te veneratur proniùs, non meliùs vel ipse Zeuxis, augustam illorum indolem in imagine depictam nobis relicturus. Taceo propagatam Inclytæ Familiæ tuæ seriem, per tot CONSANGVINEAS Stirpes SENATORIAS SZEMBEKOVIANAS DOMOS, vt rosas non spinis, sed ASCIIS obarmatas Orbis Polonus amet & veneretur. Harpocratem tamen ibi nefas est conspici, vbi gratissimam subit memoriam MAGNIFICVS STANISLAVS MORSKI PARENS Tuus POCILLATOR terræ Sochacouiensis, qui nisi illibatâ niuei candoris conscientiâ, in Deum pietate & feruore, meliorem sibi in Cælo inter Beatos partem, quæ non auferetur ab eo, elegisset, ob heroicos actus, quos ad imitationem posterorum fecit tanto numero, quantum sola immortalitas capit, potiùs non nasceretur, quàm moreretur, vel si nasceretur dignum erat, vt semper viueret. Parcarum nihilominus sæuâ interceptus manu, viuit in Te & tuis Germanis, qui à Magno Parente, non degeneres filij, & potiùs viuæ imagines, inchoatum per ipsum gloriæ negotium, suis egregiè factis, & maioribus in dies virtutum incrementis perficiunt. Taceo HIACYN-

THVM

THVM MORSKI Germanum Tuum, qui ad Cannas Strigonienses cæso hoste, ipse ante Tribunal Dei apparuit, maiorem daturus fidem, iustè hostem cæcidisse, & manubijs hostis vindictam Dei placaturus, etiam pro Magno Parente suo, ante annum supplicia vota tulisse, vt de hoc corporis migraturus diuersorio, æternam statim apprehenderet felicitatem. Sufficere tamen gloriæ capacissimo animo tuo, hæc Inclytæ Domûs decora non potuissent, nisi augustiora quæsiuisses. Superi Cælites, eam tibi mentem, & genium, ad excelsa natum instillauêre, vt non subitò honore insignis (quem semper destinas virtuti) prodires, quàm literis ornares, egregias Naturæ tuæ dotes exculturis: tàm diu cum Musis conuersari censuisti, donec Encyclopediam scientiarum acquireres, quam in Te ORBIS CAPVT ROMA coronaret, IVRIS VTRIVSQ. DOCTORATVM tibi conferendo, & CANTOREM ad Ecclesiam Cathedralem Vladislauiensem Te inaugurando. Non poterat consumata sapientia tua, nisi binis præmiari honoribus, quos tamen redux, ita modestia velabas; acsi nullos haberes. Voluisti sub modio lucem abscondere, & quam latere censuisti, maiorem in Te CAPITVLVM VLADISLAVIENSE, & ILLVSTRISSIMVS ac REVERENDISSIMVS DOMINVS BONAVENTVRA MADALINSKI PRÆSVL VLADISLAVIENSIS spectarunt, illud ad Areopagum Te Lublinensem, seu ad Tribunal Regni Deputatum eligendo, vt Oraculum fieres, hic Decanatum in Ecclesia Cathedrali Vladislauiensi, vt cæteris dignitate praires, conferendo. Vtriusq. dignitatis muneri satisfaciens; primum iam gloriosè cum Polonæ Gentis laude absoluisti. alterum cum dignitate retines. Elinguis hic omnis facundia, & quæ in minoribus garrula, in tuis laudibus muta est eloquentia, dum saxa etiam ipsa & lapides in laudes tuas, & encomia diserti sunt, qui à Te in profundis terræ visceribus quæsiti, in ædificationem DOMûs DEI, cum omni decore & apparatu, in villa Piotrkouice hæreditaria surrexêre. Quando in ipsis lapidibus ad gloriam tuam prodigia facis, impari laudibus tuis oratori silentium imponis, factis tuis peroraturis meliùs, quàm vt verbosa loquacitas, non suffecturo eloquentiæ Spiritu, complecti extensa virtutum & meritorum spatia præsumat. Fateor,

 magis

magis me ſiluiſſe quàm dixiſſe, vnde virtutum tuarum elogium eſt, quod plura ſolus facere valeas, quàm Oratores exprimere. At mihi voluiſſe ſat eſt, non laudes tuas quas loqui nec poſſum nec audeo, ſed Theologicam Pharum Luminis Gloriæ ſplendoribus coruſcam, cum obſequendi meo promptiſſimo Studio Tibi defero, quam vt intra beneuoli pectoris tui Sacrarium admittere digneris, ſupplex expoſco. Ego ad ſuperos vota fundam, vt Gentilitia ASCIA *Tua ampliſſimorum in Eccleſia Dei honorum architecta, multas in annorum Olympiades (Ita precatur) in ſplendore ſuo perennet.*

Perilluſtri & Reuerendiſſimæ
Dominationi

Deuinctiſſimus Cliens

M. G. K. P. D. & P.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE LVMINE GLORIÆ.

VLumen gloriæ ad intuitiuam Visionem Dei necessarium, habens rationē habitûs perfectioris respectu charitatis & non gratiæ: disponensq́; intellectum creatum ad vnionem Essentiæ Diuinæ per modum speciei intelligibilis: ita illum eleuet ad eliciendam Visionem beatificam: vt eo perfusus intellectus creatus producat efficienter visionem beatificam tanquam vera causa secunda principalis?

CONCLUSIO I.

LVmen gloriæ ad clarè videndum Deum est necessarium.

COROLLARIA.

I. *Intellectus creatus non habet ex se, & ex natura sua, virtutem saltem proximam ad videndum Deum, sed radicalem tantùm & remotam.*

II. *A Concilio Vienensi rectè proscribuntur Begardij asserentes ipsam virtutem naturalem intellectus creati, ex se sufficienter proportionatam esse, ad videndum Deum.*

III. *Ad videndnm Deum non sufficit Essentia Diuina in ratione speciei intelligibilis, intellectui Beatorum vnita.*

IV. *Quamuis Essentia Diuina possit vniri intellectui creato, in ratione speciei intelligibilis, non tamen in ratione luminis, illum confortantis & eleuantis.*

V. *Intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum, per solam assistentiam, aut concursum simultaneum ordinis supernaturalis.*

CON-

CONCLUSIO II.

LUmen gloriæ, est habitus perfectior charitate, & minus perfectus gratiâ sanctificante.

COROLLARIA.

I. Lumen gloriæ, vt reperitur in Beatis, est habitus habens tamen modum potentiæ.

II. Lumen gloriæ communicatum D Paulo in raptu, non habuit rationem habitûs, sed auxilii vel dispositionis transeuntis.

III. Participatio Diuinæ Intellectualitatis per modum naturæ, est perfectior participatione per modum virtutis & principii proximi, ad intelligendũ

IV. Gratia sanctificans, habet in nobis perfectiorem effectum formalem, quàm habeat lumen gloriæ.

V. Gratia sanctificans, non ordinatur ad lumen gloriæ, immò potiùs lumen gloriæ, ordinatur ad gratiam sanctificantem patriæ, sicut proprietas ad propriam essentiam.

CONCLUSIO III.

LUmen gloriæ disponit intellectũ creatum ad vnionem Essentiæ Diuinæ, per modum Speciei intelligibilis, illumq; eleuat ad eliciendam Visionem Dei.

COROL-

COROLLARIA.

Essentiam Diuinam (quæ est propria & naturalis forma intellectûs increati) impossibile est, esse formam intelligibilem intellectûs creati, nisi per hoc, quod intellectus creatus fiat, Diuini Ordinis per lumen gloriæ, vtpotè per participationem Diuinæ intellectualitatis.

II. *Intellectus creatus absq́ue lumine gloriæ, non habet sufficientem virtutem, vt vtatur Diuinâ Essentiâ ad eliciendam visionem beatificam.*

III. *Lumen gloriæ est aliquid distinctum à visione, vnde rectè damnata est à Concilio Vienensi hæc propositio: Anima non indiget Lumine gloriæ, ipsam eleuante ad videndum Deum.*

IV. *Diuina Essentia, non potest vllo modo vniri intellectui creato, nisi disponatur per lumen gloriæ.*

V. *Nec de potentia Dei absolutâ fieri potest, vt intellectus creatus non eleuatus lumine gloriæ, clarè Deum videat.*

CONCLUSIO IV.

LUmine gloriæ perfusus intellectus creatus producit efficienter Visionem beatificam, vt vera causa secunda principalis.

Corol-

COROLLARIA.

I. *Intellectus creatus, non concurrit instrumentaliter ad visionem beatificam in patria.*

II. *Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, non ita mouetur à Deo ad visionem beatificam, vt seipsum à principio intrinseco non moueat.*

III. *Quando SS. Patres appellant liberum arbitrium instrumentum Diuinæ gratiæ: loquuntur de instrumento impropriè sumpto, & in generali quadam acceptione, quæ non extrahit illud, extra rationem causæ principalis.*

IV. *Quotiescunq; potentia aliqua naturalis eleuatur, vel habitu, vel auxilio actuali supernaturali ad eliciendum actum, circa aliquod contentum, intra latitudinem sui obiecti, toties habet rationẽ veræ causæ principalis, respectu illius actûs.*

V. *Quamuis Lumen gloriæ non oriatur ex principiis naturæ creatæ, sed à Deo infundatur, tamen intellectus creatus, eo illustratus, in visione beatifica, habet rationem causæ principalis.*

DEO Ter Optimo Maximo, Luminis Gloriæ Fonti inexhausto, infinitus Honor & Gloria, per omnem æternitatem interminabilem; VIRGINI DEIPARÆ labis originalis experti, cultus hyperduliæ, Diuis Cælitibus, & Almæ Uniuersitatis Cracouiensis Tutelaribus, præcipuè B. JOANNI CANTIO Patriarchæ Nostro, Veneratio perennis & perpetua.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Perillustris, Magnifici, & Admodùm Rńdi Dńi,

D. M. FRANCISCI PRZEWOSKI,

S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Decani, Scholastici Curzelouiensis, Contubernii Hierosolymitani Prouisoris, Studii Almæ Uniuersitatis Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.